

tract. jur. civ.
613

8m.
7/29.

RECTVM SENSVM ET VSVM
PAROEMIAE GERMANICAE

Das Kind gehört zur ärgern Hand

EXPONIT

AC
AD ORATIONEM INAUGURALEM

IN
ACADEMIA VITENBERGENSI

D. XV. MAII MDCCCLXVII

AVDIENDAM

INVITAT

CHRISTIAN. GOTTLIEB HOMMEL D

TITVLORVM DE VERBORVM SIGNIFICATIONE ET RE
GVLIS IVRIS PROFESSOR PVBL. ET FACVL
TATIS IVRIDICAE ASSESSOR



VITENBERGAE

EXCVDEBAT IO. CHRISTOPH. TZSCHIDRICHVS



In civ.
Vol. 142 A-2

1984

1. 127,

UNIVERSITÄT
BIBLIOTHEK
DRESDEN

GEORG MEYER

GEORG MEYER

751




quam multa iniusta ac prava fiebant moribus quondam corruptis! Nunc vero nostri temporis beneficio, nouus artium scientiarumque orbis vertitur, nunc praestantia disciplinarum restituitur, nunc turpe putamus, in famulatio iuris peregrini vni-
ce versari, domi vero esse hospites, nunc demum animad-
vertimus, maiores sine causa odium in res germanicas stru-
xisse incredibile, ac, peregrinis inuestis institutis, mores patrios oppressisse. Quam ob causam merito desudamus, certatimque nostro aeuo omnibus ingenii viribus ruimus, vt ex domestica iurisprudencia proscribatur peregrinitas, id germanicis institutis, iure quasi postliminii, restituatur, quod a literatis maioribus, ex ingenio crassis praeoccupato erroribus, sine titulo habili fuit alienatum. Quid mirum

A 2

hinc,

hinc, si ius germanicum iuuamus, adiuuamus, atque colimus in caufarum maxime illustrium decisionibus, omni, quo fieri potest, modo, huiusque studii subsidia non modo in lingua latino barbara, germanica prisca, historiae et antiquitatum patriarum, vicinorum populorum legum, numismatum, inscriptionum, sigillorum cognitione, diplomatum, deductionum publicarum, scriptorumque rerum germanicarum lectione, sed et potissimum in PAROEMIARVM GERMANICARVM notitia, ad vindicandos et detegendos mores patrios ponimus. Haec effata germanica reuera iuris germanici regulae sunt, nec minori sese commendant vtilitate ac praestantia, quam regulae iuris ciuilibis et canonici. Ista allegans, fundatam habet intentionem, probata demum exceptione, officium suum perdunt. In excolendo, adiuuandoque iure germanico ea legamus, ac, non sine oblectamento, relegamus, nosque nunquam impensae operae poeniteat. Cum vero ius consuetudinarium scriptumque de rebus constitutum breuiter ista adagia enarrent, ita, vt non ex regula ius sumatur, sed ex iure regula fiat*), sedulo cauendum erit, ne ex turbidis riuulis, sed



*) Arg. L. I. ff. de Reg. iur.

fed ex ipsis fontibus ea deriuemus **), ne in interpretando domestica instituta principiis morum peregrinorum peruerse misceamus, et in applicando plus iusto tribuamus iuribus exteris, quam patriis. Sanctum et venerabile PRINCIPIS REGII ET SERENISSIMI SAXONIAE ADMINISTRATORIS XAVERII *Diplome*, quo munere PROFESSORIS PVBLCI in hac patria Academia me dignum iudicauit, auspiciatissimam mihi, paroemiam germanicam: *Das Kind gehört zur ärgern Hand*, quam ita verto: *EX DISPARAGIONATVS CONDITIONEM PARENTIS INFERIORIS SEQUITVR*, recte interpretandi, et commode applicandi, suppeditat occasionem. Faueatis, enixe quaeso.

§. I

Quod prouerbum AB HERTIO a) vix nominatum, multo minus, prouti decebat, ab eo, aliisque expositum, vnice ex Iure Germanico originem trahit. Ab eo enim tempore, quo in Germania NOBILIS, INGE-

A 3

NVVS,




**) ENGAV *El. Iur. Criminalis* Lib. I. Tit. I. §. 7.

a) *De Paroem. Iur. Germ.* Lib. II. Par. VI. §. 2.


VI RECTVM SENSVM ET VSVM

NVVS, LIBERTVS, SERVVS ^{b)}, in contrahendo coniugio propriae fortis terminos egrediebatur ^{c)}, quo immemor conditionis, gradus et status sui imparem tori sociam, vel sine lege morgantica, vel tali, sibi eligebat, quo vxor illustris marito inferioris ordinis nubebat, siue maritus superioris ordinis vxorem inferiorem ducebatur, et ita generis nobilitatem turpi commercio commaculabat ^{d)}, odium germanicum ^{e)} non modo hos coniuges ^{f)}, sed praesertim ex hoc



- ^{b)} Ita incolae TACITI temporibus, vti docet in *lib. de Mor. Germ.* c. XXV. diuidebantur, et postea ab vniuersa fere gente germanica haec distinctio fuit retenta. Vid. PHILIP. CLVVERVS in *Germ. antiq.* cap. XV. LINDENBROG in *Cod. LL. antiquarum Var. Germ. Gent.* p. 372. seqq. De Saxonibus vide de SELCHOV *Comment. de Statu Ingenuorum*, c. I. §. 2. Sine causa HERTIVS in *Not. Regni Franc. Vet.* c. 3. §. 29. excipit Francos, sed eum praeter alios refutauit ESTOR in *Comment. de Minist.* cap. V. §. 257. seq.
- ^{c)} Id enim j. AD. BREMENSEM *Hist. Eccles.* Lib. I. c. V. apud LEIBNITIVM *Script. Rer. Brunsv.* T. I. p. 76. legibus erat firmatum, vt nobilis nobilem ducat vxorem, liber liberam, libertus coniungatur libertae, et seruus ancillae. conf. RICCIUS in *Landf. Ndel* p. 467.
- ^{d)} DV FRESNE in *Glossar. med. et inf. lat.* sub v. Disparagare.
- ^{e)} De contemptu et sancitis poenis gentium diuersarum Germanicarum in matrimonia imparia vid. CRAMER *de iuribus et praerogatiuis nobilitatis auitae*, cap. III. §. I. ESTOR *de odio in matrimonia imp. et restricto iure nobilitatis Germ. quod ad connubia.*
- ^{f)} Vxores nec maritalis, nec viri femineae dignitatis et ordinis fiunt participes; DE LVDOLF *de iure feminar. illustr.* P. I. §. II. PÜTTER in *El. Iur. Germ.* §. 384.

hoc inaequali connubio natos persequitur. Innoxius enim is partus a procreato ex aequali foedere connubiali, et nomine, et effectibus, siue iuribus, admodum distinguebatur. Quem ad modum ex pari matrimonio genitus Ebenbürtig *g)*, ita ex disparagio natus ein Basgebohrner *h)*, Bastardt *i)*, Wanbürtiger *k)* audiebat. Dirum nomen sequebatur
seue-



g) Ita dictus a paritate nascendi, is enim vtrisque parentibus genere, dignitate nativa, et iuribus est par. conf. IUS PROV. SAX. L. I. art. III. et VOCABULARIUM SAX. ANTIQVVM in Edit. Spec. Sax. LVDOVICIANA pag. 628. WACHTERI *Glossar. Germ.* sub v. Ebenbürt. SCHILTER ad *Ius Feud. Alem.* cap. XL. §. I.


h) Hunc denominatum fuisse a Bas et gebohren omnes fere consentiunt. Sed in denotatione vocis Bas DD. admodum discrepant. Quidam per MELIVS vertunt, ut sit a patre vel matre melioris conditionis prognatus. Ita versio latina IUR. PROV. SAX. Lib. III. art. LXXII. RICCIUS *Spicil. Iur. Germ.* Lib. I. Tit. XIV. p. 524. Sed mihi magis arridet potestas vocis INFERIOREM designantis, ita nomen iura, quibus talis vitur, demonstrat.

i) Erymologicas dissensiones huius vocis vide copiose in *Glossariis* SCHILTERI, WACHTERI ET DV FRESNE. Approbo ILLUSTRIS HOMMELII, AGNATI PLVRIMVM REVERENDI in *Oblect. Iur. Feod.* Obs. I. §. 2. et FRISCHII in *Teutsch. Wörterbuche* p. 69. opinionem, bas idem indicare ac niedrig. Ceterum, an is a BANCKARDO non tantum nominis sono, sed etiam significatione sit separandus, praeclare disquirat HOFFMANN in *Observ. Iur. Germ.* L. I. cap. XI. p. 130.

k) a Wan defectus, in eo quoque natiuitatis adest defectus. Conf. WACHTER *Gloss. Germ.* s. v. Wan. ESTOR *de Odio in imp. matr.* cap. IV. §. 59. n. 2.

VIII RECTVM SENSVM ET VSVM


feuerum ius et liberis his admodum odiosum, dum leges patriae ^{l)} illis denegant iura parentum f. patris, f. matris, eminentiorum et nobiliorum, sed tantum assignant conditionem, iuraque inferioris, peioris, deteriorisque parentis. Atque id intendere in PAROEMIA verba argere Hand, certissime hactenus mihi persuadeo. Praeter leges LONGOBARDORVM, WISIGOTHORVM ^{m)}, aliarumque gentium germanicarum, huius rei documenta omni exceptione maiora sup-
peditat



^{l)} Similis fere dispositio in Lege Romana MENSIA occurrit, vi cuius ex alterutro peregrino natus deterioris parentis conditionem sequatur. Iung. Fragmenta VLPiani Inst. Tit. V. §. 8. ad quae respicitur in L. 24. II de Statu Homini, CUIAC. Obs. Lib. XV. cap. XIII. Illam legem et ad Latinorum Romanorum statum pertinuisse, demonstravit HEINECCIUS in Comment. ad L. Iul. Pap. Popp. Lib. II. cap. IX. Ceterum hic non curamus, quis eam tulerit, et quando, porro an potius SENTIA aut MESSIA sit appellanda, cum quaelibet sententia nimis sua prematur difficultate. Conf. ROSINVS Ant. Rom. Lib. VIII. cap. III, et BACCHII Histor. Iurispr. Rom. Lib. III. cap. I. §. 15. Illam tandem legem ANTONINI CARACALLAE temporibus, quibus ciuitas cum omnibus, qui in orbe Romano vivebant, ingenuis communicabatur, abrogatam, et in Germania antiquiori penitus incognitam fuisse, certo certius asserere licebit. De odio Veterum Germanorum in matrimonia cum exteris disputat ESTOR de odio in matr. imp. cap. III.

^{m)} Quas adducit BOEHMER in Iur. Eccl. Prot. Lib. III. Tit. X. §. 2. et GROTIUS in Iur. Bel. et Pac. Lib. II. cap. V. §. 29. in not. Qui duumviri simul annotant ISIDORVM in can. fin. C. XXXII. qu. 4. verbis: *semper, qui nascitur, deteriorem partem* (sive ut in ISIDORI Codi-

peditat SPECVLATOR ALAMANNICVS cap. 322. §. 2. editionis BERGERIANAE pag. 112. verb. Und ist ein Mann seinem Weib nit ebenbürtig, er ist doch ihr Vogt, und ihr Vormund, und ist sie frey, sie muß sein Genosß seyn, wenn sie an sein Bette geht, und gewinnen sie Kind, die hören derzu ergern Hand, ⁿ⁾ wenn aber ihr Mann stirbt — und sie nimmet einen Mann nach ihm, der frey ist, als sie selbst, so gewinnet sie frey Kind, als sie selber ist. IDEM cap. 49. edit. BERG. p. 115. Es ist niemand semper frey ^{o)}, dann des Vater und Mutter semper frey waren, die von den Mittel-



Codicibus manuscriptis legitur: *deteriorem parentis statum) sumit*, WISIGOTHORVM in Hispania mores respexisse. Habes hic novam gemmam, quae ex iure Germanico in Corpore Iuris Canonici lucet. Plures reperies apud ILLVSTREM AGNATVM in *Oblectam Iur. Feod. Obseru. XVI. j. ECKARDT. Hermeneut. Iur. pag. 279. seq.*

- ⁿ⁾ Ex hoc textu non modo denominatio paroemiae est desumpta, sed et eius vis optime perspicitur.
- ^{o)} Liberos homines medio aevo in tres classes: Semper freye, Mittel-freye, et Frey Landsassen diuisos fuisse, apparet EX IVRE ALAM. cap. 48, edit. BERG. pag. 7. Ad modum vero in illis definiendis et vnde semper frey vocentur, inter DD. disputatur. HEINECCIUS in *El. I. Germ. L. I. §. 91.* eos appellat nobiles, qui terras allodiales possedissent, sine maiore dignitate, alias GOLDASTVS *Rer. Alam. Tom. I. p. 133.* Sed mihi perplacet SCHILTERI coniectura in *Comment. ad Ius Feud. Alam. cap. I. §. I. n. 18.* putans,

B

hoc

Mittelfreyen sind geböhren, die sind Mittelfreyen. Und ist auch die Mutter semper frey, und der Vater Mittelfrey, die Kinder werden Mittelfreyen, und ist der Vater semper frey und die Mutter Mittelfrey, die Kinder werden auch Mittelfreyen *p*). Nec minus IUS PROV. SAX. Lib. III. art. 73. ita disponit: Der Wenden Kinder gehören nach dem Vater, ob er ein Wende ist. Ist er aber teutsch, so gehören sie nach der Mutter *q*).

§. II


Effectus nociuos, peioremque conditionem liberorum ex nobili superiore et inferiore parente natorum accuratius pernoscendi, si flagras cupiditate, haec teneas iurium
 Specia-

hoc vocabulum esse vitiatum e genuino sendbar, quod est a Send conuentus, et essent nobiles Vasalli immediati, qui iure suffragii in Synodis et conuentibus publicis gauderent, et in multis cum Saxonis Schöppenbaren conuenissent. Comites, Barones mediatos contra nuncupatos Mittelfreye. j. EIVSD. Glossar. Teut. sub voce Sendbar. add. WACHTERI Glossar. Germ. f. v. Semper leut.

p) Ita legunt plerique COD. MS. alius CODEX contra: Die Kinder werdent doch semper freyen. Sed iam dudum SCHILTER ad Ius Feud. Alam. cap. I. §. I. n. 14. hanc lectionem contra rationem iuris Alam. antea adducti: Das Kind gehört zur ärgern Hand, militantem, reiecit.

q) Quibus locis adhuc adde IUS ALAM. cap. 58. edit. BERG. P. 348. Et IUS SAX. WEICHB. art. III.


specialium exempla. Nobilitate et dignitate parentis excellentioris non fulgent ^{a)}, ab eius successione feudali arcentur ^{b)},
ad



a) Huc collineat IUS PROV. SAX. Lib. I. art. 51. Welch Mann von seinen vier Anen, das ist, von zweyen eltern Vätern, und von zweyen eltern Müttern, und von Vater und Mutter, die unbescholden seynd, unbescholden an seinem Recht ist, den mag niemand beschelten an seiner Geburt. Et Lib. III. art. 72. das ehelich und frengelobten Kind behält seines Vaters Heerschild, und nimbt auch sein Erbe, und der Mutter also wohl, ob es ihr ebenbürtig ist, oder basß geböhren. Eandemque dispositionem in nato ex coniugio feminae illustris et plebeii s. gradu inferioris obtinere, legibus et obseruantia germanica corroborat GUNDELING in Disp. an venter nobilitet.

b) IUS FEVD. SAX. cap. XXI: Der Sohn behält des Vaters Schilt zu lehn Recht, der ihm ebenbürtig ist. Simultanee inuestiti praeferruntur eiusmodi filio, sicuti quoque subuassalli paterni huic recte detrectant homagium feudale, successionem praetendenti, et a Domino directo superiore regulariter renouationem inuestiturae impetrant. conf. IUS FEVD. SAX. cap. XX. et IUS ALAM. cap. 41. edit. BERG. p. 408. j. SCHILTER ad Ius Feud. Alam. cap. 40. §. 3. Quod ius in suo territorio denuo renouauit FRIDERICVS ELECT. BRANDENB. Edicto d. an. 1697. promulgato, idque vide in ESTORIS Spicil. I. Germ. L. II. Tit. XIV. p. 523. et in ILLUSTR. HOMMELII Acad. Red. ad Mascoy. Ius Feud. cap. IV. §. 25. Nec minus in ORDINAT. MARCHAE BRANDENB. d. an. 1716. prouisum, ne nobilis cum ciuica sine consensu Principis sponsalia celebret. WERNH. P. IX. Obs. XIX. Ceterum quamuis quondam Imperator iis natis nobilitatem maiorem, atque in praeiudicium simult. inuestitorum et statuum Imperii, successionem feudalem tribuere solitus fuerit, CAPITVLATIONIBVS tamen CAROLI VII. FRANCISCI I. et IOSEPHI II. art. XXII. §. 4. haec potestas Imperatoria in concedendis his diplomaibus adeo restricta est, ut ea in prae-

ad ludos equestres ^{c)}, quos torneamenta vocamus, et ad comitia prouincialia *Landtäge* ^{d)} non admittuntur, in collegiis Canoniorum ^{e)} non recipiuntur, nec equestrem sacrae militiae ordinem intrare ^{f)} queunt, a societate Ganerbio-
rum ^{g)} et feudis castrensibus ^{h)} excluduntur, nec indistincte
ad



judicium statuum Imperii amplius conscribi darique nequeant. Ita quoque in quam plurimis Illustrium familiis singulari pacto pro incapacibus ad successionem eiusmodi liberos declaratos reperimus. FLEISCHER *Inst. I. Feud. c. VIII. §. 7. lit. g.*

- ^{c)} Eiusmodi enim homines si in circo equestri comparebant, equestribusque concertationibus se intrudere conabantur, non raro licuit, eorum audaciam verberibus, aliisque poenis ignominiosis v. g. *sie auf den Schrancken zu sehen, coercere.* Iura circa Torneamenta addisce *ex Ordinat. Torneam. gentium diuers.* Quaedam inuenies apud RICCIUM in *Spicil. I. Germ. L. I. Tit. V. p. 213. j. GEORG. SCHVBARTH de Ludis Equestribus.*
- ^{d)} BERGER in *Oec. Iur. Lib. I. Tit. II. Th. 12. n. 3.*
- ^{e)} BOEHMER *Iur. Eccl. Prot. Lib. III. Tit. V. §. 89.* Et GUNDLING *Allgemein Geistl. Recht p. 993. et p. 1046.* ECKARDT *ad Schilt. Ius Can. Lib. I. Tit. VII. §. 19. n. 68. seq.* HEINECCIUS *Iur. Germ. Lib. I. §. 83.* not. RICCIUS *Spicil. Iur. Germ. p. 219.*
- ^{f)} MYL. AB EHRENBACH *Gamol. Person. Illustr. cap. V. §. 40.* LVDEWIG in *Differ. I. Rom. et Germ. in dignitate uxoris Dist. II. not. g.* BOEHMER *I. Eccl. Prot. Lib. IV. Tit. IX. §. 22.*
- ^{g)} HEINECCIUS *Iur. Germ. L. I. §. 181.* not. FLEISCH, *Inst. Iur. Feud. cap. VIII. §. 6.*
- ^{h)} *IUS FEVD. SAX. cap. 71. et ALAM. cap. 142. edir. BERG. pag. 499. add. FLEISCHER l. c.*

ad Duellum ⁱ⁾ prouocant, iudiciorum Heroicorum ^{k)} et parium Curiae non sunt participes, nec in causa illustris et nobilioris testes habiles ^{l)}, feuda nobilia in hos alienari ^{m)} nequeunt, et quae sunt alia iura a nobilitate auita dependentia, quibus destituti sunt. Ceterum eos a successione bonorum allodialium parentis eminentioris non exclusos fuisse, satis SPECVLATORES ⁿ⁾ declarant.

§. III

i) j. II. Feud. XXVII. §. 3. IVS PROV. SAX. L. I. art. 51.

k) IVS FEVD. SAX. cap. 72. add. STRVV in Disp. de Iudicio Heroico. Quod iudicium equestre in Silesia vocatur das Ehren-Gerichte-Ritter-Recht, vel Ehren-Zafel. In Lusatia Superiori die Ritter und Ehren-Zafel, in Inferiori Ehren und Ritter-Recht docente RICCIO in Spicil. Iur. Germ. L. I. Tit. V. p. 220. seq.

l) vid. WALCH Disp. de teste reo pari.


m) IVS ALAM cap. 35. edit. BERG. p. 404: Wiset der Herre an niedere, denn er ist, das gewehret sich der Mann wohl mit Recht j. SCHILTER ad Iur Feud. Alam. cap. XXXIV. §. 2. Prouincias, in quibus alienatio horum bonorum in plebeios pacto, legeque publica specialiter adhuc est interdicta, praeserim quod Lusatiam superiorem attinet, vide apud RICCIUM in Spicil. I. Germ. Lib. I. Tit. V. p. 206. seq. In Saxonia nostra, vi RESCRIPTI REGII d. 7. Sept. 1743. rusticis feuda nobilia emere non licet. j. ILLVSTRIS AGNATI Rhapsod. Obs CLXIV. MENCKENII Pandect. in App. p. 991.

n) Quamuis non indistincte legibus BAIUVARIORVM ET LONGORARDARVM in bonis allodialibus succederent, HEINECC. El I. Germ. L. II §. 227. nil tamen est certius, quam hoc licuisse medio aeuo. Ita IVS PROV. SAX. Lib. III. art. 72: Das Kind nimmt auch sein Erbe, und der Mutter also wohl, ob es ihr ebenbürtig, oder

§. III

Ab interpretatione paroemiae haecenus propositae aliquatenus recedere videtur ILL. CAROLVS FERDINAND HOMMELIVS, AGNATVS ADMODVM REVERENDVS, in *Oblectamentis Iuris Feodalis*, Obs. I. §. 2. Obs. VII. et in *Ukad. Reden ad MASCOVII Ius Feud.* cap. IV. §. 25. dum nos admonet, ne phrasin *árgere Hand* pro manu nequam, aut turpiori, aut inferiori accipiamus, sed, cum germanicum ARG ab *árgyòs* profectum, ignaum, tardumve ^{a)} notaret, laeva manus vero inutilior, inertior infirmiorque dextra ab autoribus latinis nuncuparetur ^{b)}, facile colligi possit, per eam, laeuam et sinistram

intel-




basgebohren ist. Et IUS ALAM. cap. 41. edit BERG. p. 408. Ist das Lehn aber sein eigen gewesen, so sollen die Mann von ihm empfangen, oder sie lassen es ihm. Nec obstat IUS ALAM. cap. 58. p. 348. Quippe quae dispositio tam dura est, quia hic domina cum suo proprio homine concubuit. Interim hanc successionem in allodia quoque exulare, si ea bona principatui vel bonis familiae sunt incorporata, non dubito. conf. RICCIUS in *Spicil. I. Germ. L. I. T. XXI.* pag. 581.

a) J. PAUL DIACONVM *de Gestis Longob.* Lib. VI. cap. XXIV. verb. *Memento Dux Ferdulfe, quod me esse inertem et inutilem dixeris, et vulgari verbo ARGAM vocaueris.* add. LEX LONGOBARD. L. I. Tit. V. §. I. *Si quis alium ARGAM per furorem clamauerit.* DV FRESNE *Glossar.* sub voc. Arga.

b) Sic PERSIVS *Satyr. II. v. 53. Pectus laeuum.*

intelligi, cum nunc in sinistro latere, laeuaque manu veteris consanguinitatis corporis, feminae et matris descendentes fuissent collocatae c), alium sensum hoc prouerbium germanicum non reciperet, quam, vt ex disparagio prognati, non aliam, ac maternam conditionem adipiscantur, nec, si ad patrem referantur, in agnatorum, sed cognatorum numero reperiantur. Quae sententia, vt foetus ab inaequalibus parentibus editus ventrem sequatur, eo magis esset amplectenda, quo certius sit, eam ordini naturae conuenire quam accuratissime d). A lupo et cane enim productus, non lupi,



HORATIUS de *Arte Poet.* v. 301.

— — — *O ego laeuus*

Qui purgo bilem sub verni temporis horam.

add. VIRGIL. *Ecl.* I. v. 16. 2. *Aeneid.* v. 54. vbi *mens laeua.*

c) Ad hoc alludunt LL. ANGLORVM ET WERINORVM Tit. VI. §. 8. verb. *et tunc demum hereditas ad fufum a lancea transeat.* j. ILL. HOMMELIUS in *Oblect. Iur. Feod.* Obl. XV. §. 2. add. IVS. PROV. SAX. Lib. I. art. 3. Sic quoque in arbore consanguinitatis, plerisque corporis iuris Canonici editionibus inserta, et maxime COD. AVG. Tom. I. pag. 471. conspicitur, agnatos dextrum, cognatos finistram latus occupare. Imaginem consanguinitatis veteris pictura iuxta titulum *Oblectamentorum Iur. Feod.* ante oculos collocavit IDEM HOMMELIUS.

d) Huc videntur applicari versus OVIDII Ep. IX. *Heroid.* v. 29.

Quam male inaequales veniunt ad aratra iuenci,

Tam premitur magno coniuge nupta minor.

Non honor est, sed onus, species laesura ferentem:


Si qua vales apte nubere, nube pari.

pi, sed canis; ab equo et asina editus mulus, non equi, sed asini naturam acciperet. Ipse tandem partus humanus ex matrimonio ad morganaticam procreatus, satis id demonstraret, hunc non patris, si quidem bonis ab eo per pactum assignatis contentus viuere debet, sed matris statum, et ordinem solum consequi. Non nego, illam interpretationem coniecturis esse erutam admodum praeclaris, lubentissimeque illam arriperem, si inaequalia matrimonia cum viro illustri et femina inferiori, vt plebeia, vel cum, vel sine pacto ad Legem Salicam tantum contraherentur, sed quia leges Germaniae publicae, experientiaque Imperii nostri satis superque edocet, praeter ea adhuc impar celebrari posse inter feminam illustrem et virum inferioris fortis, sine vlla adiecta conditione, et tunc ex eo natos, non matris statum, ordinem, insignia, aliaque iura familiae competentia, sed patris, cum venter non e) nobilitet, sequi, non possum non, quin eam interpretationem prouerbii, quantum mihi perspicere licet, multo censeam angustiore, ac matrimonia inaequalia exigunt. Quem ad modum enim mihi dicere non licet, omne
matri-

* * * * *


e) j. MYL. AB EHRENB. in *Gamol.* cap. V. §. 33. seqq.

matrimonium inaequale esse Morganaticum, cum quaedam sine expresso pacto, sine adiecta conditione iniri possunt, ita nec asserere audeo, inaequale tantum contrahi, si dignitate et gradu superior vir feminam plebeiam ducat, cum, si casum inuertimus, nec minus appareat impar connubium. Deinde vocem ARG apud antiquiores Germaniae scriptores signa deteriorationis, non minus, ac ignaviae suppeditare, copiose videre licet in WACHTERI et SCHILTERI *Glossar. Teutonicis* sub hac voce. Nec me mouet imago naturae in animalibus ab imparibus procreatis, conspicua, cum haec in negotiis et societatibus humanis saepius officium suum perdat *f*), nec mulus in omnibus matris imbecillitatem et tarditatem sit nactus, sed de virtutibus, praesertim robore, equi quam plurimum participet, quod et VIR ILLUSTRIS in den Akad. Red. ad MASCOV. l. c. verbis: dasjenige Thier, — — darf sich nicht mit Recht unter die Pferde mengen, sondern muß mit den Eseln laufen, unter welchen



f) In rebus mere naturalibus a brutis ad hominem interdum non male argumentamur, sed non, si de ciuilibus iuribus natorum agimus, interim vide TESMARVM ad GROT. *de Iure Belli et Pac.* L. II. c. V. §. 29.

chen es aber freylich grosse Parade macht, annuere videtur. Quid quod lacte materno saturatus, matrem calcibus petit, conditioneque matris se quasi abdicat. Nec IVS ALAMANNICVM cap. 322. §. 2. ex quo paroemia originem trahit, de matrimonio ad Marganaticam differere videtur, nec, si paroemiam ita, vti fuit a VIRO ILLVSTRI propofita, vellem accipere, commodam conciliationem cum eodem iure cap. 49. vix possum adhibere. Cum igitur nostra explicatio paroemiae laudatae, ad omnia quaeuis foedera conubialia imparia, commode, et consentientibus legibus patriis, vim suam ac potestatem exferat, huic vltius inhaerere, magis inclino. Interim omnia ea, a me magis confundendi, quam oppugnandi gratia, haecenus sint adducta. Tot enim tantisque beneficiis IS SUMMVS VIR me, tam praesentem, quam absentem, vsque ad hoc tempus cumulavit, vt nomen ingrati inhumanissimique, contradicendo, vix effugerem. Nec sententiam muto, licet alii asserant, ius ciuile *g)* et interdum canonicum *h)*, nec non loca IVRIS PROVINCIA-



g) L. 19. et 24. π. de Statu Hom. L. 1. §. 1. π. de insp. ventr.

h) cap. vn. X. de natis ex lib. ventr. Multa iuris ciuilis decreta in decretales migrasse, cum rationibus adstruit ECKARDT *Hermenevt. Iur.* pag. 273.


VINCIALIS SAX. Lib. III. art. 73. et WEICHBILD. art. III. in illegitimis connubiis matris statum simpliciter partui communicare, si quidem iura peregrina tamdiu fileant, quamdiu adsunt iura propria. Nunc vero, uti satis abunde demonstratum, mores Germaniae copiose agunt de matrimoniis inaequalibus, eiusque effectibus, cur hinc iura peregrina, in subsidium saltem recepta, in his controuersis praeferamus moribus domesticis. Si mores quoque patrii in Speculo Saxonico interdum refragarentur, partim compilerator mores cum iuribus Romanis confudit, partim plane non de specie proposita, sed vel de aequali mariti et uxoris mulcta, emenda, et Werigeldo, vel de singulari aliqua consuetudine, vel statuto ⁱ⁾ differit. Certissimum sane est, mores hodiernos sententiae nostrae et in hac parte suffragari, nobilitatemque solam matris ad liberos et descendentes non transmitti, sed cum persona extingui ^{k)}.

§. IIII

Quem ad modum igitur ex inaequali foedere coniugali editi, non, sine adhibito discrimine, matris conditione

C 2

et



ⁱ⁾ HEINECCIUS *El. Iur. Germ.* Lib. I. §. 225. not.

^{k)} GUNDLING *Disp. an Venter nobilitet.* MYLER AB EHRENB. *Gamol.* cap. V. §. 33. seq.

et iuribus gaudent, ita inconsiderate et inconsulte loquuntur, summa imis, omniaque miscent, nec non odium in res germanicas produnt iniustissimum, qui, Vsum hodiernum forenssem a moribus antiquis patriis toto coelo discrepare, ideoque liberos, a matre plebeia et principe natos, dignitatem patris indistincte sequi, vbique legitimos censendos esse, hinc dignitatem, successionem in feodis quoque regalibus, insignia, aliaque iura et priuilegia, patri nobiliori competentia, adipisci, aequalitatem nobilitatis vtrorumque parentum, si huius modi liberi ad ludos equestres, beneficia, quae Canonicatus vocant, ad comitia prouinciae admitterentur, ex statuto et consuetudine tantum exigi, publice docent. Si noscere cupis Doctores, qui id statuere non erubescunt, non possum non, quin te praeter plures alios ^{a)}, ex parte morum germanicorum contemptores et inimicos, nominem MYL. AB EHRENBACH in *Gamol.* cap. V. §. 22. HERTIVM in *Par. Iur.* Lib. I. par. VI. §. I. STRYCKIVM *Tract. de Dissensu Sponsal.* Sect. V. §. 74. BERGERVM in *Oec. Iur.* Lib. I. Tit. II. Th. 12. n. 3. HORNIVM in *Iurispr. Feud.* cap.




a) conf. BARTHII *Dissensus in Praxi* Diss. 735.

cap. VI. §. 10. *ITTERVM de Feudis Imperii* cap. XIV. §. 9. *WERNHERVM P. VIII. Obs. 466. et P. IX. Obs. 19.* qui omnes iuris communis principiis hic inhaerendum esse, ferio censent. Pro eorum vero indole, et nimio iuris peregrini amore correpti, per ius commune, non germanicum, sed exterum, scilicet Romanum et Canonicum intelligunt. Dicunt enim: nobilitas regulariter ex persona patris aestimetur, quamuis mater nobilis non sit ^{b)}, deinde disparitas dignitatis, neque iure Iustiniano nouissimo ^{c)} nuptiis amplius obsit, nec iure Canonico ^{d)}, cum id ea imparia foedera rata habeat, nec tam, quoad personas priuatas, quam illustres, legibus Imperii nouissimis vlla lex prohibitiua adsit, nec eorum doctrina praxi Germaniae sit contraria, potius vbique et moribus, et *IVRI FEVD. SAX. cap. XXI. verb. Der Sohn behält des Vaters Schild und Adel nach seinem Tode zu Lehn Recht, so fern er ehelich gebohren ist, consentanea.* Hem mira effata! quae audacius statuuntur, quam iusto approbantur. Esto, quod nec ius ciuile, nec


C 3

cano-



^{b)} arg. L. 13. C. de Dignit. L. 36. C. de Decur. L. 10. II. de Senator.
^{c)} Auth. sed nouo iure C. de Nupt. Nov. 78. cap. 3. Nov. 117. cap. 4.
^{d)} cap. I. X. de Sponsal. cap. fin. X. de Coniugio Seruor.

canonicum exigant parem statum, dignitatemque in personis nuptias celebrantibus, esto, quod liberis ex disparagionatis omnia iura et priuilegia patri tribuant. Quid haec omnia ad nos? Cum, an Germani, reiectis legibus et consuetudinibus patriis, ad obseruantiam Iuris Romani et Pontificii, hic sint obligati, longe alia sit quaestio. Nemo, nisi in historia iuris hospes, affirmabit, iura peregrina, abrogatis moribus patriis, publice esse recepta. Contrarium ubi vis elucet, nimirum, receptionem iurium exoticorum subsidiariam statuendam, nec ea alias valere, nisi iura statutaria vniuersalia et prouincialia Germaniae plane nihil disponunt e). Nec ius Canonicum, cum eas nuptias ratas habet, abolet mores Germanorum. Dum matrimonium ratum censet, indissolubile et verum efficit. Exinde vero non sequitur, id et gaudere effectibus coniugii aequalis f). Germani enim
hoc



e) conf. ORDINAT. IVD. AVL. Tit. I. §. 15. et RECESSVM IMP. NOVIS. de ao. 1654. §. 105. j. HORN. *de praerogatiua morum Germ. in concursu cum legibus receptis.*


f) Quid quod ipsum Ius Canonicum eiusmodi natis effectus ciuiles denegat, dum liberi ab vtrisque parentibus illustribus demum ad capitula adspirare possunt. j. cap. 37. X. de Praebend. et BOEHMER *I. Eccl. Prot. L. IV. Tit. IX. §. 22.*

hoc matrimonium demum legitimum i. e. effectibus ciuilibus ornatum, appellabant, quod quis cum persona eiusdem status contrahebat. Sine omni censura vero eos non dimittere possum, qui in legibus patriis contrarias et prohibitiuas sanctiones reperire non potuerunt; non probo, a germanicis parentibus natum, a germanicis praeceptoribus instructum esse, in Germania viuere, ibique publice alios docere, et tamen iura patria non carius aestimare; curare, colere atque in ciuitatem recipere externa, domestica vero negligere, despiciere et proscribere. Adeant hinc loca iurium domesticorum antea adducta, et a contemptu morum patriorum abstineant eiusmodi affectae. Nec minus oppositum locum SPECVLI SAXONICI cum aliis, vt Lib. III. art. 72. conferant, quo facto, facile perspicient, solas nuptias non sufficere, sed et ad ordinem et statum externum, quem a natiuitate coniuges habent, respici, si effectus inde sequantur ciuiles et legitimi. Falsum asserti, nostram hactenus prolatam et defensam doctrinam non foris Germaniae hodiernis consentaneam esse, iam dudum solide refutauit, et ita nobis in illo prosternendo otium fecit ILLVSTRIS ESTOR in *Disp. de Odio in imparia matrimonia*, cap. IV. §. 45. seq.

seq. et cap. V. §. 74. seqq. Sicuti de eadem praxi Germaniae testatur a SECKENDORF g), ita fontem recensitae praeiudicatae opinionis, et erroris fere communis optime detexit THOMASIVS h).

§. V

Cave tandem, ne matrimonia nobilis inferioris cum femina ciuici ordinis pro Disparagio habeas, et liberis exinde




g) im Fürsten-Staate Parte II. cap. VII. §. 26. Nach alten Herkommen des Teutschlandes verheyrathen sich die Teutschen Fürsten und vornehme Reichsgrafen an keine andere Person, als welche aus fürstl. gräfl. oder demselben gleichgeachteten Geschlechte, welches zu mahl im Reiche bekant, und etwann auch dem Landesfürsten, der da heirathet, nicht unterworffen, oder landsässig wäre, geböhren ist, und sind Exempel anzuziehen, daß im Fall eine fürstl. und hohe Person es hierinnen anders gehalten, und an eine gemeine von Adel, oder bürgerlichen Standes sich vermählet, es ihnen nicht allein zur bösen Nachrede gereichet, sondern auch den also erzehlten Kindern ihr Stand und Recht zur Landes Regierung sehr beschnitten, auch wohl aberkannt, oder sie mit geringern Gütern abgewiesen worden.

h) in Jurist. Händeln tom. 2. Handl. 3: Daß aber diese Meinung bishero von denen auch berühmtesten Scribenten nicht angenommen worden, ist hauptsächlich der Ursache zuzuschreiben, daß, nachdem man leyder! die alten teutschen Gewohnheiten auf Universitäten unter die Banck gesteckt; man sich selbst, und die Discientes beredet, es müsten alle Controuersiae, sowohl iuris publici, als privati, sowohl die zum Lehen, als Land-Rechte gehören, entweder aus dem Römischen Justinianischen, oder zum wenigsten aus dem Longobardischen Lehn-Rechte decidiret werden.

inde natis iura paterna, et successionem feudalem deneges ^{a)}.
 Ciuis et nobilis inferior sunt ex vno ordine scilicet ingenuo-
 rum, et inter hos non contrahitur matrimonium inaequa-
 le. Aeuo enim recentiori nobilitas diuisa fuit in superio-
 rem et inferiorem ^{b)}. Haec ingenuis quibusdam fuit tri-
 buta, ex ordine vero ingenuorum quoque ciues sunt ^{c)}. Ita
 non opus habemus, vt cum EISENHARTO ^{d)} ad depraua-
 tam consuetudinem prouocemus. A Disparagio quoque
 differt matrimonium, QVOD STATVI MINVS CONVENIT,
 eine nicht standesmäßige Ehe, idque effectus odiosos etiam
 in feudorum regalium successione producere, obseruat

BOEH-



^{a)} conf. BOEHMER Disp. de impari matrimonio et liberorum ex eo nato-
 rum iure quoad successionem feudalem. EIVSDEM Ius feudale Lib. I.
 §. 122. j. DE SELCHOV Disp. de matrimonio nobilis cum vili et tur-
 pi pers. ILL. HOMMELIVS in Akad. Red. ad MASCOV. Ius Feod.
 cap. IV. §. 25.

^{b)} Dicunt seculo XV. nobilitatem ita demum diuisam fuisse. CRA-
 MER de iuribus et praerogatiua nobil. auitae cap. II. §. 8. ESTOR
 Com. de ministerialibus cap. V. §. 277. ILL. HOMMELIVS in Rhaps.
 Obf. LXXIV add. CHR. LVDOV. SHEIDTII Historische und Di-
 plomatische Nachricht von dem hohen und niedern Adel in Teut-
 schland.


^{c)} DE SELCHOV Tract. de Statu Ingenuorum in Germania cap. II.

^{d)} in Grund: Sätzen der teutschen Rechte in Spruch: Wörtern pag.
 142. §. 2.

D

BOEHMERVS ^{e)}. Sed de his rebus omnibus nil amplius addo, cum mihi longe grauior et acceptatior agenda res sit.

AETERNI NUMINIS propitia in me voluntate, quam per omnem vitam meam supplex sum veneratus, et quamdiu in viuis ero, pia adhuc recolam mente, factum est, vt PRINCIPI NOSTRO REGIO, AC SERENISSIMO SAXONIAE ADMINISTRATORI, ante aliquod tempus, CODICILLIS PVBLICIS, TITVLORVM DE VERBORVM SIGNIFICATIONE et REGVLIS IVRIS, in hac patria Academica, docendorum, MVNVS, mihi demandare, meque loco ac suffragio in Senatu Academico nostro eminentius ornare, indulgentissime placuerit. Quam amplissimam GRATIOSISSIMI PRINCIPIS REGII munificentiam, sicut deuotissima mente, et quanta possum religione, agnosco et exosculor, ita meum in praesenti est, vt more maiorum, oratione publica, gratiose delatam prouinciam capeffam, tanti beneficii memoriam publica gratiarum actione profequar, vnaque pro incolumitate, splendore, atque



^{e)} in cit. *Disputatione*; et in *Iure Feud.* L. II. §. 434.

que vigore ELECTORIS NOSTRI CLEMEN-
 TISSIMI FRIDERICI AVGVSTI, MATRIS
 EIVS MARIAE ANTONIAE CELSIS-
 SIMAE, SERENISSIMI ADMINISTRA-
 TORIS XAVERII, et pro perennitate, quam
 nullus casus, nulla fortuna debilitare possit, VNIVER-
 SAE SAXONIAE DOMVS, solenni Oratione
 preces votaue concipiam ardentissima. Quam ob causam,
 ne actui desit celebritas, *TE, RECTOR ACADE-*
MIAE MAGNIFICE, VOS, PATRES CONSCRIPTI,
VOS, OMNIVM ORDINVM ANTISTITES, VOS, GENERO-
SISSIMI, NOBILISSIMI ACADEMIAE NOSTRAE CIVES,
HOSPITES, AC MV SARVM FAVTORES, quam decentissime
 rogo, atque obtestor, velit, isto die, *VE STRA* honorifi-
 ca praesentia, actum illum solennem condecorare meque
 oratorem licet minus exercitatum, omnis tamen obseruan-
 tia studiosissimum benigne audire. Ego vero vicissim
 candide atque sincere, omnia officiorum genera, quae mo-
 do a me expectari, aut proficisci possunt, offero, pro-
 mitto ac spondeo.

Dab. *VITEMBERGAE* Dom. Iubilate
 A. O. R. CIO IO CCLXVII.

Trait jur 1706/3

